3. T. 6. Gall

Iohannis 14 inquit
Filius dei

Ἐὰν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, κ̀ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, κ̀ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, κ̀ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν.

Hanc dulcissimã promissionem semper in mente nobiscũ circũferamus, et saepe cogitemus, qua primũ praecipi nobis sciamus, ut discamus hanc ipsã a Deo doctrinã per prophetas, Christũ & Apostolos traditã. Deinde promittit hos dei domiciliũ & vera Ecclesiae membra esse, qui Legem, audient, discent, amabunt, et propagare studebũt hanc doctrinã. Hi exaudientur, gubernabuntur, adiuuabũtur, et servabuntur a Deo. His tantis promissionib. confirmati huius doctrinae studia colamus, et non sinamus eam deleri

Philippus Melanthon

Esaiae LIX

ואני זאת בריתי אותם
אמר יהוה רוחי אשר עליך
ודברי אשר שמתי בפיך
לא ימושו מפיך ומפי זרעך
ומפי זרע זרעך אמר יהוה
מעתה ועד עולם׃

Αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ
διαθήκη εἶπε κύριος,
τὸ πνεῦμα τὸ ἐμόν, ὅ
ἐστιν ἐπὶ σοί, καὶ τὰ ῥήματα
ἃ ἔδωκα εἰς τὸ στόμα σου
οὐ μὴ ἐκλίπῃ ἐκ τοῦ στόματός
σου· καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ
σπέρματός σου εἶπε κύριος
ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς τὸν αἰῶνα.

Suavissima promissio de Ecclesia, continens doctrinā & consolationē dulcissimā. Docet n. et quae sit Ecclesia, et ubi sit visibilis: ubi sonat vox Evangelii divinitus patefacta, qua voce Spiritus Sanctus est efficax in cordibus ut semper sit aliquis coetus credens Evangelio et confessione sua propagans doctrinam.

Et addit consolationē, quod Deus velit servare Ecclesiam ad omnē posteritatē contra omnes furores Satanae & mundi, etiā in confusionib. et ruinis imperiorum postremi temporis. Ergo nos sciamus et nunc Deū servaturum esse Ecclesias in quib. sonat vox Evangelii, ad posteritatē, et defensurū, ne deleatur doctrina coelestis.

Caspar Cruciger d.
1546

Ephes: 2

Ergo iam non estis hospites & advenae, sed estis cives sanctorum, & domestici dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa, crescit in templum sanctum in domino.

Egregia sententia, quae primum monet, quid sit Ecclesia: civitas nempe, domus seu templum dei, fundata super Christo, & extructa scriptis prophetarum & Apostolorum, quib. nititur & consistit Ecclesia. Eius autem civitatis & domus gubernator & paterfamilias, est deus, dominus coeli & terrae.

Necesse igitur est illam civitatem esse sanctissimam & munitissimam, quam DEVS ipse gubernat & pro ea excubat. Necesse est in ea civitate & domo, in qua DEVS habitat, esse iustitiam, vitam, & omnia coelestia bona, & illa omnia civib. inter se esse communia. Datur autem civitas iis, qui credunt in Iesum Christum filium dei, iuxta illud: Dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius &c. Beatos vero cives, qui in hac civitate florentissima, sub deo gubernatore & defensore, non in caducis & mox interituris bonis, sed in coelestib. & aeternis sedent, &c.

Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Io Chrysost.

ὀλίγος ἐστὶν ὁ τῆς ζωῆς ἡμῶν χρόνος, βραχὺ τὸ τῆς σωτηρίας ἐφόδιον. ἂν οὖν αὐτοῦ τοῦ βραχέος χρόνου, τοῦ δοθέντος ἡμῖν πρὸς τὸ μαθεῖν τι τῶν χρησίμων, τὸ περιττὸν καὶ ἀνόνητον καὶ βλαβερὸν ἀναλώσωμεν [illegible], πότε λοιπὸν εὐπορήσομεν ἑτέρου πρὸς τὸ μαθεῖν τὰ ἀναγκαῖα, καὶ κατεπείγοντα;

Ioach. Scrib.

Ps. 1.

Beatus ille qui procul congressibus
Remotus est ab impijs,
Nec impium vocatus in consortium
Gradu ſtat imperterrito,
Nec castra falsa plena conscientiae
Secutus, abnegat Deum:
Sed mente verba qui volvens fidei Dei,
Totoq. adhaeret pectore,
Qui nocte, qui curat die potissimum
Deo placere maximo.
Hic est ut arbor ad rigantes rivulos
Quam diligens ſerit manus,
Quae publicum fructus in usum amabiles
Suo miniſtrat tempore.
Non huic nocet vel Caurus imbre ſordidus,
Vel vis ſonantis Africi,
Ramis gerit ſemper comas virentibus,
Laetis decora fructibus.
Non impium ſectatur haec felicitas,
Qui neſcit, aut negat Deum.
Sed ſicut uno Apeliotes impetu
Glumas inanes disijcit,
Sic obſtinatos ventilat Deus impios,
Inutilesq. proijcit.
Idcirco iustam cum feret ſententiam
Verbi poteſtas vindicis,
Nil impijs erit relictum ponderis
Errata quo tegant ſua.
Sed exules ab omnibus pijs procul
Poenas dabunt infamia.
Curae Deo nam ſunt viae credentium,
Negotijs in omnibus,
At impiorum fallit irritus labor
In omnibus negotijs.

Γινώσκει κύριος ὁδὸν δικαίων,
καὶ ὁδὸς ἀσεβῶν ἀπολεῖται.

Ioannes Stigelius

Salomonis

Vir ſapiens fortis est, & vir intelligens
praeſtat robusto. Nam bella geruntur industria,
& victoria parit multa consilia.

Georgius Sabinus

Παῦλος πρὸς Ῥωμαίους η.

Εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν; ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ
ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν, πῶς
οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται; τίς ἐγκα-
λέσει κατ' ἐκλεκτῶν θεοῦ; θεὸς ὁ δικαιῶν. τίς ὁ κατακρίνων;
Χριστὸς ὁ ἀποθανών, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς, ὅς καὶ ἐστιν
ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, ὅς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν.

Vult Paulus, vt in lucta conſcientiæ territæ conſpectu peccatorum et iudicij Dei, conſolemur nos conſideratione mirandi operis, quod Deus filium coæternum καὶ ὁμοούσιον miſit in hanc carnem, vt nos liberaret à peccato et morte, et reconcilia-ret patri. Tribuit autem Paulus Christo hic qua-tuor officia:

quod factus pro nobis victima, impetrauerit veniam peccatis noſtris.

quod reſuſcitatus à morte vicerit et aboleue-rit mortem æternam,

quod ſedens ad dexteram Dei patris regnet, et ſuam infirmam Eccleſiam regat, ac defendat ab inſidijs et furore diaboli et tyrannorum,

quod demiq interceedat apud patrem pro nobis infirmis et adhuc multipliciter contaminatis, ac impetret et mittat nobis ſpiritum ſanctum, à quo doceamur, regamur, confirmemur in hac caligine mentis noſtræ, et ingentibus ærumnis huius miſeræ vitæ. Erigamus igitur et ſuſten-temus nos in omni adflictione, fiducia filij Dei, qui nobis eſt factus

VICTIMA,

TRIVMPHATOR,

REX,

PONTIFEX.

Martinus Lutherus.
ſcripſit.

Memoriæ ergo.

Anno 1546 quo: 1545

Cæſare proſcribente duces, ſub fata Lutheri,
Infœlix quatitur ſæuo Germania bello.

Vivo Domine Deus
apud te, Tu vir
bellator es

Die omniũ ſanctorum.

Precatio Flaminij
ad Christum

Tutela præſens omnium
Qui mente pura te colunt,
Da quæſo nihil ut cogitem,
Agam, loquar, quod numini
Tuo placere non queat,
Comis benignus in bonos
Maloſq; ſim, ne degener
Sim natus optimi patris,
Qui ſolis almo lumine
Illuſtrat omnes, omnibus
Potum cibumq; ſufficit.
Legum tuarum per vias
Me continenter dirige,
Boniq; quicquid egero
Id eſſe totum muneris
Tui ſciamq; & prædicem.
Seu febris artus paſcitur,
Seu miles urit impius
Domum paternam, dicere
Laudes tibi ne deſinam,
Sed cuncta numinis tui
Nutu regi nil ambigens,
Viuam quietus, filios
Dei ſecunda & aſpera
Iuuent oportet, gloriam
Tuam patriſq; maximi
Meæ ſaluti præferam,
Nec ulla res optatior
Queat mihi contingere,
Quam contumelias pati
Te propter, ipſa carior
Sit luce mors, ut corpore
Exutus ad tui volem
Regni beata gaudia.

Doctiſſ. ac humaniſſ. viro
M. Joſuæ Lago amico
ſuo & fratri chariſſ.
Hubertus Languetus Burgundus
ſcripſit Vitembergæ pridie
[Id]us Aprilis. 1559